

Quo factus sanguis, liquor est vitale lavacrum.  
Nam quia peccantes medicina semper egemus,  
Hanc pro peccatis medicinam semper habemus.  
Hæc datur ad vitam, sed si reus hanc verearis,

A Qui Patris ad dexteram sedet et mactatur in aris.  
Ecce vides in lege typos et signa perissa,  
Ad propriumque caput tria sacramenta redisse.

### IN LIBRUM SEQUENTEM BREVE MONITUM.

Hunc librum De sacra eucharistia e manuscripto Colb. 6327 erutum, vere Hildebertinum esse suadent allegorie, phrasæ et dictiones Hildeberto familiares, et intermixti etiam versus integri indubitanter Hildebertini: v. g. In Natale sacro, etc., qui in omnibus manuscriptis illi tribuuntur; et Panis in altari, etc., qui sunt eorum primi, qui in editione Parisiensi an. 2548 immediate subjiciuntur poemati ejus De sacrificio missæ. Nec mirandum quod Hildebertus bis, vel etiam pluries de sacra eucharistia metricè tractaverit, cum id diversis forte temporibus præstiterit, nec sit inusitatum ut idem auctor pro variâ opportunitate, vel occasione de eodem argumento sæpius egerit.

## VEN. HILDEBERTI LIBER DE SACRA EUCHARISTIA.

(E ms. Colbertino, num. 6327. Nondum editus. Omnia summaria sunt in ms. minio picta.)

§ UNICIB. *Cur panis et vinum in sacramento corporis et sanguinis Domini offeratur, et cur aqua admisceatur.*

Si Deus elegit tria quæ sibi sacrificentur,  
Nolo tamen quod sacra Dei diversa potentur;  
Unus enim Deus est, unum quod sacrificatur,  
Quamvis diversum pro temporibus videatur.  
Nulla docet ratio, cum vere sit Deus unus,  
Quod cupiat varium, vel commutabile munus;  
Ipse voluntatem non permutans aliquando,  
Consultuit nobis, solum ritum variando;  
Solus enim ritus, res vero non variatur;  
His etenim rebus, Domino quibus ante litatur  
Agnum primus Abel, vitulum lex sacrificavit,  
Gratia, quæ superat, panem vinumque litavit.  
Hæc tria sola Deo creduntur grata fuisse;  
Qui coluere Deum, dicuntur in his coluisse.  
Ante datam legem præcessit lex rationis,  
Tertia lex venit perfectæ religionis,

1152 Ergo duæ leges, quæ nostram prævenie-

[bant,

Quod sit in Ecclesia præsignificando docebant.

Illa prior creditur sacros patres habuisse,

Hæc circumcisos in carne Deo placuisse:

Illa sacramentum, quod Christus verius egit,

Altaris nostri sub eisdem patribus egit.

Hoc sub Abel, sub Melchisedech, sub Abram vi-

[guisse

Fertur, eosque novi sacri speciem tenuisse;

Quorum Melchisedech, quamvis non esse legatur

Progenies, tamen his non inferior numeratur.

Lex in qua Domino caro circumcisa placebat,

(38) Pro duodecim.

B Pontifices unctos unius stirpis habebat.  
Unctio talis erat, quæ Christum significaret,  
Qui verus sacrificex mundi peccata piaret,  
Sed tribus illa Levi, quia pontifices tribuebat,  
Sola sacerdotum jus officiumque gerebat;  
Et pro peccatis, et victima pacificorum  
Non nisi de manibus acceptabatur eorum.  
Nullus in his arcem capiebat pontificatus,  
Ni foret ex Aaron generis a stirpe creatus.  
Hic semel et solus intrabat Sacra sacrorum:

Intrans hircorum cum sanguine, vel vitulorum;  
Ipse duos (38) lapides humeris hinc inde gerebat,  
Nomina scripta patrum quibus insignita ferebat<sup>40</sup>:  
Ergo tribus omnes humero gestabat utroque,  
Sacrificans, oransque Deum pro se populoque.  
C Hæc dixi breviter veteri de more litandi,  
Ut de more novo major sit copia fandi.  
Prævidit Dominus prius orbem quam fabricaret,  
Quomodo peccatum primi patris evacuaret.  
Non peccarat Adam, Dominus præviderat ante  
Quod sit holocausto redimendus quo velit ante;  
Sed Domino placuit posthac monstrare figuris  
Posset ut esse fides magis indubitata futuris.  
Agnum primus Abel mactavit filius Adæ,  
Agnus et ipse Dei, Peccatum diluit Adæ:  
Idem quippe Deus, et præsul, et hostia factus  
Prævaricantis Adæ, nostros quoque diluit actus.  
Agnus Abel, Christum Patris agnum significavit;  
Frater eum, sic et Dominum Judæa necavit,  
Ergo videre potes quod Abel, agni que figura,  
Venturi Christi signabant sacra futura.

D Melchisedech legitur panem vinumque dedisse,

<sup>40</sup> Exod. xxviii.